

F. K. 95.

V, 3

Z d
4435

11

X 2054122

SERENISSIMO AC CELESTISSIMO
PRINCIPIS AC DOMINI.

ULRICI. S. R. I. COMITIS.
à PROMNITZ.
RECTORATUS.
IN ILLUSTR.
ACADEMIA. GISSENA.
SOLENNIA.

Typis HAMPELIANIS.
MDCCLV.



W. 97. 7.



SERENISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO GEORGIO,
HASSIÆ LANDGRAVIO,
COMITI IN CATIMELIBOCO, DECIA,
ZIGENHAINA, NIDDA, YSENBURGO
ET BUDINGA, &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

PATRIÆ CONSERVATORI ET RESTAURATORI

Literarum

Experimento hoc

Devotum Spiritum probas

humiliter



ULRICUS COMES à PROMNITZ.

DISSERTATIO
IN AUSPICIO
RECTORATUS
MEMORITER HABITA,
FESTO EPHIPHANIAS,
ANNO M. DC. LIV.

ILLUSTRIS HUIUS ACADEMIÆ
HUCUSQUE - RECTOR MAGNIFICE,
VIR ADMODUM REVERENDE
AMPLISSIME ATQUE EXCELLENTISSIME
DN. HABERKORNI,
SS. THEOL. D. ET PROF. CELEBERRIME.



UOD supremi Numinis auspiciò,
venerandi Ordinis Academici no-
mine, Amplitudo tua, inter solennia
studia confessusque hujus splendi-
dissimi vota, publicè modò decre-
tum mihi collatumque ritè iur
MUNUS RECTORALE,
æstimantis percellit animum. Opus
equidem viribus hisce majus: Luculentius certè, quàm
meritorum fert conditio, benevolentia vestra, PROCE-
RES ACADEMICI, omnium ordinum honoratissimi,
cujus in me nullum huc usque pignus onasistis, argu-
mentum. Unde nec celebranda satis huic tam honorificè
vestrae de sorte meâ sententiæ parem ingenii vim in me
superesse fateor; nec Functioni rerum usum sufficere aut
ætatis fiduciam. Quippe quæ tantò adhuc intervallò
abest ab adultâ istâ Regiminis auctoritate, ut potius quos
A ipsa

ipsa sibi rectè imperandi, in falò hóc atque juventæ
 fluctu, habeat autores meritò postulet; ne à rectè vivendi
 constantiâ rerum tempestate abripiatur. Etenim, si
 quid judico, magnum & constantem sibi animum sui
 primùm, qui multorum quidem annorum labor, osten-
 dit moderatio: aliena verò *gubernaculi involucra* vel sui
 adhuc impotem, & qui vix remigem egit, còdem discrimi-
 ne sæpè sollicitant, quò imparem destituunt. At verò
 Spartæ dignè præsidere, non fastigii modò & dignitatis,
 verùm sapientiæ quoque & rei gerendæ opus. Hinc
 virtutes & merita spectare, solenne iis, qui in honores
 dispensant & **MAGISTRATUS**: Quos qui capes-
 sunt, præstare tenentur, ut non tam in nominis, quàm in
 operum partem deveniant. Quare Provinciæ hujus
 sive magnitudinem deprecari sive gloriam, tantò minus
 alienum foret ab ætatis hujus stadio; quantò majus est,
 rerum curâ, ornamentum dare dignitati, quàm splendo-
 rem inde capere: qui sanè *syderibus* cœlestibus non est,
 nisi in salutare mortalium usus. Verùm cùm sanctissima
Majorum instituta (quorum causas nefas mihi superciliò
 omni altiores in dubium vocare) legis ad instar inviola-
 bilis, non tam consilii nobis arbitrium, quàm obsequii
 necessitatem imponant; simulque illustria sanioris ævi
exempla, non omninò rerum umbras, meò quidem judi-
 ciò, sectandas posteritati haud degeneri ostendant: desti-
 natam mihi, prudenti suffragatione vestra, **PATRES**
ACADEMICI, Stationem honorificam, pro viribus tue-
 ri, gloriosius ducam, quàm officium, sive religionis osten-
 tatione, sive diffidentiâ causæ, defugisse argui. Neque
 enim, quæ de se prolixè polliceri verecundia erubescit,
 expectationis melioris momenta, adspirante Numine,
 planè desperat procuratione vestra erectus animus.
 Quem ideò excitandum ad graviora præclare judicastis,

ista

istâ rerum magnitudine, etiam ultra ætatis metas assurgentium; ne forsan hebesceret ingenium, domi umbras inter & noctes, nullius ausi capax. Modestiam itaque meam, quod rei ordo exigit, post Decreta vestra ita sum habiturus, ut SCEPTRIS VESTRIS admotus, in ipsis quasi gubernationis salubris penetralibus, vestrâ regar prudentiâ. Utpote quorum exempla inter atque præsidia, (unde mihi sanè non nisi sincera atque præclara expectanda omnia) cujus rei dandum in omni vita erit specimen, experiundo quasi, spero, in supremi Numinis gloriam & commune decus altiùs meditari mihi integrum. Atque adeò quidem firmiter *voluntatis* hujus in me vestræ, per omne ævum, servanda mihi memoria, ut, quantum in facultates hæc cadit, nulla me unquam officii capiat oblivio. OPE enim DIVINA fretus, quas auctoritate vestrâ subeo, Partes hæc eò laturus sum animo, rerumq; mearum, quoad par est, satagam; ne *mori* saltem vestro datum videatur, quod exploratæ etiam deberetur *virtuti*: quin imò, ut plus divini vestris inesse *suffragiis*, quàm tribuisse vos *fortuna adjuventis*, factò ipso experi amini. Vestra, arbitror, omnium quàm maximè intererit, providere, PATRES, ne qua partium incuriâ in discrimen abeat instaurata Sedis hujus studiorum atque Magistræ claritudo, aut corporis universi vigor. Magna cura magnis potissimùm, quæ vestra in universam Patriam & Orbem merita, autoribus indiget. Communem hanc status Academici administrationem ad honorem vestrum & COELESTIS præsertim NUMINIS pertinuisse, fructum cum animis vestris reputantes, quoad eritis superstites, gaudebitis: & post fata olim, quæ seravobis omnibus precor, erudita docebit posteritas. Quod superest, rei summam probabunt fausta hæc, quæ DEUS Ter-Opt. Max. approbet auspicia, & cui

& cui per placita vestra subnuitur ætas hæc, multis rerum
 experimentis instructi *Senis Umbra*, assignati mihi Ma-
 gnifici Domini *PRO-RECTORIS*, Viri Nobilissimi ac
 Consultissimi Domini *JACOBI LE-BLEU*, J. U. D.
 & Profess. Publ. Ad quem insignem Virum,
Commilitones Nobilissimi, decora & præsidia Patriæ, omni
 venerationis atq; obsequii cultu prosequendum, uti autor
 vobis existo, ita operosus quoq; hortator essem, nisi ipsa
 spectati *Proreta*, quem juncta prudentiæ canities com-
 mendat, *autoritas*, & quæ simul corâ intuemini, reliqua
 hæc veneranda *Senatus Academici*, saluti inquam vestræ
 sacrata *Capita*; quin sua quemque, quam in vultu vestro
 lego, vosque mecum profitemini, *Pietas* ad officium
 ultrò incitaret, & ad quam nati estis spei magnitudo.
 Quippe quorum scientiâ, ipso pronuntiante *Imperatore*,
 totus illuminatur mundus, & ad obediendum DEO MA-
 GISTRATUÏq; vita subsectorum informatur. *Felicitatem*
 cerè vestram, quò votis bonorum omnium juxta
 & favore cœlesti aspiratis, legum cumulabit & Superio-
 rum *observantia*. *Immortalitati* autem vestra vos, dignis
 undiq; laudum & famæ præconiis stipata *industria*, inter
 ipsa Literarum emolumenta, consecrabit. Mea equi-
 dem, si quid opis in adnitente erit, in rem & ornamen-
 tum vestrum animi & studiorum documenta, proque
 florentissimæ hujus (quam æternus rerum ARBITER unâ
 cum Serenissima DOMO HASSIACA æternum
 servet) UNIVERSITATIS incrementò
 vota constabunt
sempiterna.

DISSER-

DISSERTATIO
SUB FINEM
RECTORATUS

MEMORITER HABITA,

CAL. JAN. M. DC. LV.

DE

REGUNDIS REIPUBLICÆ FINIBUS,

MAGNIFICE PRO-RECTOR,
ILLUSTRES ET GENEROSI COMITES,

VIRI PRÆ-NOBILES, PATRES ACADEMICI

ADMOD. REVERENDI, NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
CLARISSIMI,

TVQVE NOBILISSIMA CIVIVM ACADEMICORVM CONCIO.



MAJOR equidem humanô ingenio est divini Numinis in Regnorum arbitria Dispensatio. Consilio tamen in homine reliquo, reguntur Fines & florent Nationes, divino munere; ruunt verò & excinduntur immoderatâ libidine mortali-um: lethiferâ per omnes ordines regnorum peste. Quod si, ab omni ævo Rectores Orbis tanta cepisset finium *regundorum* cura, quanta *proferendorum* sæpè exercuit sollicitudo: nec major populum invasisset *licentiæ* cupido, quàm *obsequendi* studium; extra omne dubium est, quin meliore rerum habitu foret imperantium simul & parentium conditio. Verùm Imperii definire limites atq; obsequii, id verò Regum opus. Ex quo tamen, quæ sapientiæ vestræ & benevolentia jam pridem munera sunt, Venerandi *Academiae Proceres*, tùm cognoscendi *Status publici* negotium; tùm etiam in præsentia MAGISTRATUS ACA-

B

DEMICI

DEMICI ritè tradendi, dicendique copia mihi data, consilium fuit, quæ DE REGUNDIS REIPUBLICÆ FINIBUS, ætatis & instituti ratio suppeditat, per patientiam vestram, Auditores, commemorare, quâ par est brevitate.

Æternô consiliô assignavit DEUS, regnorum conditor, regnantibus fines, & Rectores Finibus: Illorum sancta per omnes ætates in terris veneratio fuit, sancta majestas; Horum verò tam sancta est habenda custodia, quàm periculi plena, violenta omnis eorundem transportatio. Ea quidem ferè Gentium fata sunt, ut omnia citiùs potestatis suæ facere consveverint, quàm inexplebilem augendæ potentia cupidinem: Si fines orbis egredi potuisset Orientis Triumphator *Alexander*, aliam naturam, alium Orbem jam tum aperire statuerat aviditas. At firmam *Regni majestatem*, non tam ex finium amplitudine, armorumque æstu metiendam esse existimemus, quàm ex justa eâque moderatâ *Regiminis eminentia*. Neque enim me præterit, quod suum alicubi facere barbaries arcantum dicitur, quò novû condendi templum dominantipotestatem nullam facit, nisi auctis ab ipso Provinciâ imperii finibus. Id quod, si abesset injuria, haud vulgarem fortè virtutis laudem mereretur, etiam in optimo Principe. Sed verendum ne tot Provinciis distincta tandem moles pedibus nitatur luteis, levi momentô ruitura. Auctum satis illud Imperium, si *Scipioni* credis, quod, ne onere laboret, de finibus conservandis magis occupatum esse per consilium extremum etiam *Augustus* cupit. Enim verò Augustis auspiciis, rebusque forti consiliô perpetratis, florentiorem Statum condere, & Patriæ augere securitatem, potiùs, quàm alienos fines angustiorem reddere, *Augusti Principis* decus est: Tantò magis itaque patescit Imperii dignitas, atque intra continentia fines terminata potentia, quantò

quantò longiùs justitię fama , & pomæria felicitatis propagantur. *Firmum* ex glorioso faciunt Imperium; Domi-
 consilium, fides foris, utrinque Religio & *Legum* observan-
 tia. Harum quidem vigore potius, quàm vi *legionum*
 grande illud societatis humanę corpus, velut parietibus &
 mœnibus, continetur. Nunquam autem bonis moribus
leges diutiùs florere sentias, quàm ubi Princeps, ceu anima
 Regiminis, sanctitatem earum & observantiam exemplò
 instillat civibus, utpote quâ regiâ face, in studium probi-
 tatis accenditur æmulator populus, plus quàm ferro mi-
 nace aut urente igni. *Rigore* exacerbatur sæpius in tem-
 pestivò, nec corrigitur delinquentium contumacia. Ne-
 cessitudine verò illa velut paternâ, ostentâque *exempli*
 proprii severitate, tantum *tudor* *amori* accessisse gau-
 debis & disciplinæ publicæ, quantum inde hostium animis
 decedere intelliges. Inexpugnabile quippe Imperii mu-
 nimentum est, mutua imperantium & parentium bene-
 volentia: Tuta Principi rupes Subditorum tutelare
 gremium, & multorum stipatorum numerum superat
 Civium singulorum amor. Excubant hi pro incolumi-
 tate Regis; ille pro salute omnium. Fragile finium stabi-
 limentum, nec tutus unquam perpetui officii custos, ultrò
 citròque *timor*. Scilicet ubi vel hinc populo suo unicam
 tantùm, quam eodem ictu tollat, cervicem optat *Caligula*:
 vel isthinc *Darium* suum salvum amplius esse nolunt, aut
 quemvis alium regnare malunt *odium* populi atque *con-*
temptus, extremæ perniciæ prodromus. Abominatur
 hic animus, quas non unas passim effrenis *licentiæ* artes ex-
 cogitat in centore *Sandrocotto*, muneris & beneficii juxta
 oblitus populus: Ita ut non citra periculum sæpe Sceptra
 agant, in quorum securitate sita reliquorum salus.
 Licet plaris subinde constet cum servitute licentiâ,
 quàm cum securitate sub bono Principe liberè acta vita:
 qui

qui maximus veræ *libertatis* fructus. Quos scopulos, quæ brevia in hoc Pelago nemo feliciter prætervehit quàm qui antehabet *explorata*: Sibi ergò & suis consulit Gubernator, qui Sceptrum simul ad patientiam morum prudentiâ attemperare, adeoque ingenium Populi non minùs ac miseras *noverit*. aliquos forsan tempestas citiùs in portum quàm tranquillitas invehit. Sæpe tamen moderator reipublicæ, velut humanum quoddam & propitium Numen, de jure suo remittendo, etiam nolentes *consiliò* à pernicie redimit: aut relinquit ingenio quosdam, ut *secum omnes servet*. Namque imperandi & consulendi aptitudo, virtutis palma est, fastigiò Principis dignissima. Nullus hic facilè *Sejani* commentario locus: nec tamen prudens, spretâ *consulentium* sententiâ, solus sibi fidet; sed ut saniorum membrorum caput, ita salubris *consilii moderator* erit, cordatus ipse Princeps: in hoc quippe *capite* suæ quisque salutis destinatos custodes dispositos suspicit, *oculos, aures, animum*. Qui ubi non nisi per instrumenta officium faciunt, aut per internuntios tantùm fores regis patent necessitati patriæ, clausa manent regibus Subditorum viscera: in hunc namque sinum pectoris sensa ultima tutò effundit necessitas; in quo suprema populi salus deposita, & vera regnantis magnitudo. Omnium hinc in se animos de facili allicit, quos pascit *annonâ*, & auget opibus populares, providentiæ tuæ *nutricius oculus*, etiam quos non attingit præsentia. Leviora videbuntur ferentibus quæcunque necessitas imperabit *onera*; imò assumpta veriùs, quàm imposita gratis subibunt, unde sua quoque commoda, nec rarum *tributorum* in se redundantem fructum intellexerint. Nocendi animum & ferinam indolem fera quoque animantia erga nutritorem abjiciunt ad nutum obœdiunt, blandiuntur, tuentur Herum,

etiam

etiam cum vitæ discrimine. Nihil verò neque lactis neque velleris expectabis etiam à *pronis ovibus* debiti pasturâ spoliatis. Quid? quod ad audaciam sæpe festinat *egestas* & fames suppliciorum ultimum, nisi desperationi occurras præsentis consilio. Quæ tamen contagio patrios fines haud citò attinget, ubi *inertia* populi, libidinis omnis atque inopiæ genitrix, *industria* remediò atque negotii tollitur: *paupertatis* deinde miseriam sublevat *opulentiorum* potentia, non verò opprimit: utrorumque autem *luxum* frugalitatis exemp^lò coërcet, intra mediocritatis limites, Regis *frugalis Curia*. Opu- lenta satis regio, ubi *facultatum* conditioni cum magnitudine sumptuum & necessitatum prudens intercedit conciliatio. Hinc provida imperantis solertia altè disquirat, quæ territorii opes? Quibus destinandæ usibus, aut casibus servandæ ultimis? cæterum ut uberiore proventu solum reddat *vectigal*, providendum ubique, ne quid finium *incultum* relinquatur. Tantum non destituit Dominum Regnorum vastitas, solitudine damnata & sterilitate, incultu *civium*. Quorum certè numerosa, validòque mutux *concordia* nexu juncta copia, fundi tui quantumvis modici, inter temporis spolia, thesaurus maximus; murus & propugnaculum finium fortissimum. Et quidem ad tuendum universum corpus non sufficere credas, *caput* esse sanum, posthabitâ membrorum valetudine. Quocirca majori securitate gaudebunt fines, si qua *privatorum* sequestrata *odia* condonantur salutis publicæ: *Finitimorum* verò fidem & *fœdera*, quibus nullum efficacius firmi imperii instrumentum, magnanimi Principis, à quo vix unquam exulat necessitudinis *integritas* obstringit. *Artes* nefarias fastidit summæ fortunæ dignitas; laudabiles autem *Regiminis rationes*, quibus, mutatis velis, secundâ sæpè

navigatione navigandum, vel à regia juris via ad extraordinariam recedendum, easque secretas ipsa regni salus exigit. Si quid tamen *Secretum* esse patitur seculi indoles. Sed præstat in *diffidentia* conflictu servasse *Epaminonda* scutum, quàm deliquissetelò. Fallitur qui in versutiâ omnem sibi securitatem pollicetur; ex fide & innocentia periculum. *Insidias* quibus ipsa per fidem laceffit neminem, *circumspectio* diluet. Hæc sanè, quantum *alii* vel ferro possint, vel ingenio, vel denique auxiliis valeant, nec te quidem ignorare patitur. Quare sicuti *prudentiâ* quo minus sis superior, nulla facile vis impedit: ita quoque, ne armis inferior causâ cadas, alta mens expediet *consiliò*. *Causâ* tamen potiùs quàm acie parta majoribus tuenda censeas: *bello* promptus, *Pacis* amans: sine sanguine, quoad integrum, non sine ferro. Hinc decorata armis regio; regnum armatum pacis artibus. Quò ita *temperato* felicitati seculi nihil obtigit pretiosius. Non equidem diffiteor *armorum robur* majus esse. Ast *breviorem* quoque inde scias infinitam imperii potentiam: utpote felicitatis suæ prodigam; indigam securitatis. Illud enim, sicut *pacatum*, ita fidum magis & magis *diuturnum*, collectis undique finibus ac viribus, illatò aliunde bello, totum de salute simul & capite dimicat: Stante divino Numine à partibus ejus, qui *meliore Causâ* pugnat. Et verò plus militant pietatis jura, quàm omnis ad tempus potentior visatque injuria. Ideoque audacter affirmo, arcanorum omnium esse antiquissimum, faustique & diuturni Regiminis fundamentum unicum: *pietatem* in Deum coluisse, *justitiam* in homines. Immota stetit omni tempore Respublica quoad stetit in ea verus DEI *cultus* atque religio, vinculum inter DEUM & homines. Haut verò extra discrimen versatur *fertile* religionum Imperium

Imperium, pietatis alioquin *sterile*. Sanè religionis causam, ob *status* publici conservandi *rationem*, posthabere, Impium esse credas, aut impietatis originem, etiam gentilibus abominandam. Neque etiam per *religionis fucum* expedit, *Agessilae*, omne quod Sparta pro arbitrio effingitur utile; aut culpam in singulos derivatam, *communi emolumentò* rependere temerè creditur. Quare nihil magis dignum purpurâ vestrâ Principes, quàm pietate & religione admirantium *oculos* in vos, imitantium verò *mentes* in DEUM convertere. Celeres, credite, vitalis ille Spiritus, quem tot millia trahunt, felicitati publicæ cursus impertit, fixasque sedes tribuit. Religionis verò semina sunt & felicitis reipublicæ velut complementum, *Literarum studia*; eundem cum Regnis ab ultimâ inde vetustate florem plerunque nacta, eadem periodos. Hinc videas humanitatem civium, Hinc Regum prudentiam, instructissimum insuper togæ, sagæque *armamentarium*. Unde domi juxta & militiæ depromendum consilium. Quò sine armorum præsidium verè exiguum. Literarum quippe oraculis instructa patria, quam tueatur salutem in *mænibus* etiam *lignis* facile inveniet. Adde si vis justo & moderato Principis Imperio pietatis & literarum *firmamentum*, & videbis, felicem populum, securos fines, militiæ vallum, musarum præsidium, Asylum fidei, & quæcunque fausti Regiminis insignia sunt. His itaque, & quorum omnium numerum inire, longum nimis foret, antiquissimis finium fulcris, in hanc diem stetit stabitque, quod DEUS faxit, auspice *Imperatore* Romano invictissimo FERDINANDO III. Sacratissimo Christiani Orbis ac nominis capite, sacrum perennitati *Imperium*. Ad cuius augustam felicitatem, iisdem auspiciis ingens omninò momentum attulere gloriosissimi SAXONUM HASSORUMQUE juxta antiquis-

antiquissimo fœdere, fide, religione, juncti Patres patriæ, Heroes incomparabiles, quorum heroica facta atque insignia in Regimen publicum, non minus, ac literarum & cultus divini gloriam merita, nostris simul & exterarum Gentium literis & linguis omne ævum celebrabit. Æternâ equidem pietate, unâ cum devotâ tuâ Saxonîâ, TE grandævum Imperii *columnen*, ELECTOR SAXO potentissime, nostræ venerantur Musæ; & quem in partem *augusti* muneris, ac nominis fata benigna destinarunt, TE Serenissime PRO-ELECTOR, Exoptatum Imperii *sydus*, *obses* felicitatis patriæ: Nuncupatis pro perennitate vestrâ, DOMINI, votis sanctissimis. Tua verò inclyte HASSORUM PRINCEPS & PATER Darmstatine Celsissime, Fortissimum ævi atque Imperii *Præsidium*, quæ æternitati jam dudum destinasti, *magnitudinis* monumenta admiratur seculum, adorat *Patria*. Præconia verò perpetua restauratum hoc à te inusitata felicitate *Sapientia Capitolium*, nostrò omnium Spiritu, abundè loquitur. Hujus certè *maximi operis* maximus *fructus* ad omnes omninò Reipublicæ Ordines pertingit; *fama* verò ad seram posteritatem usque, concelebrantium late studiis, per univèrsam *Orbem* disseminabitur: Stabilem hîc velut in ipsa *immortalitatis officina* sedem, atque auspiciatum perennandi (id quod devotum Serenissimæ *Domui* tuæ pectus constanter vovet) *Domicilium* habitura. Quod igitur in illustris hujus ATHENÆI, non modò *celebritate* agere mihi salubriter per vos licuit, Venerandi Academiae PATRES; verùm etiam *magnifico Rectoratûs munere*, quò me annuò abhinc spatiò, per solenne decretum cumulare cœpistis, versari contigit: magnus inde quidem vobis à me, isq; solennis debetur honos. Quanquam enim nullâ mei fiducia fretum, *dignitatis* istius *deprecandæ* argumenta quàm plurima defendere poterant. Sanctior tamen quædam obsecundandi necessitudo locum meritò obtinuit: ut esset, unde

unde Decreto vestro tantòque nomini satis facere omni ope anniterer. Enim verò signum quoddam *Majores* extulisse videntur, Insigni illa muneris atque exempli prerogativâ, iis, quorum studia in illustri loco sita voluere. Ut si quos forsân, per ætatem, sortis memoria desereret, altus ignominiaë pudor moneret *officii*: simulque brevioris purpuræ mora æstimare doceret *honores*, ostentationis verò *fucum* omnem spernere: Singuli autem *animum* ubique fortuna dignum caperent. Quanquam, si rerum momenta rectè æstimamus, ingenuus animus, non ut videatur agere, rectè agit; sed quia aliter nec potest fieri, nec convenit. Neque enim *Magistratus* ferè primordium virtutis, cujus præmium esse solet.

In quibus quidem excolendis *muniis*, si quid præstitissem, unde *gloria divina*, vel utilitati publicæ quicquam accederet; esset cur voti mei compos sollicitudine illa, quâ nihil antiquius habui, me tutò liberarem: DEOq; (inter cujus munera id omne computandum) & VOBIS deinde, qui solventi mihi è portu tutum iter consiliò monstrastis; in primis autem tibi MAGNIFICE PRO-RECTOR, pro solenni *Proreta* cura, majores haberem gratias. Quas sicuti post DEUM immortalem (cui sempiternus honor, laus & gloria) vobis omnibus PATRES ACADEMICI, quos in venerabili hoc consessu salvos adhuc atque sospites, non sine jucundo votorum meorum fructu, coràm intueor, pro ingenti in me collato ornamento ac munere habeo referòq; maximas: ita quoque amplissimo vestro *Ordini* atq; favori, quod faustum esse jubeat SACRO-SANCTA TRIAS, MUNUS RECTORALE, ea quâ superiore Anno suscepi religione, resigno; designatòque felicibus auspiciis in istum locum *Capiti, Viro Nobiliss. & Experientiss. Dn. JOHANNI TACKIO, Med. D. & Prof. Pub.* honorifico applausu

D

plausu

BR 2 d 4435

14

plausu assurgo, atque animitus gratulor. Animum certe undecunque bene merendi, & sanctam meritorum memoriam, factis potius, quam verbis probandam merentibus, nunquam depositurus.

Vestræ denique *Studiorum gloria* gratulor, Nobilia pectora, *Commilitones* florentissimi, vestram, quibus eadem mecum spes, eademq; occupatio exornandi seculi & juvandæ Patriæ, curæ cordique est, *animorum* alacritatem & voluntatis documenta prædico. Quæ quidem, quantum ad me attinet, uti non tam *virtute* meâ me provocasse; quàm à vestra, quâ gloriæ palmam vobis invicem dubiam laudabiliter facere videmini, impetrasse arbitror: ita quoque nulla neque longinquitas temporum, neque iniquitas vobis olim *fructum*, quæ mea in omnes vos ac singulos animi constantia est, eripiet. Ad digna omninò rerum atque ætatis, in quo agitis, *premia* hinc in patriam vestram, quò nomine nihil vobis sanctius, reportanda; Digni estis qui nihil intentatum *industriâ* vestrâ relinquatis. Maximis inde conatibus successibusq; vestris, atque adeò, cujus sic eritis gloriosa seges, inclytæ huic **ACADEMIÆ** *celebratio* nunquam est de futura. Hæc equidem alma **SAPIENTIÆ** **MATER**, ut unâ cum **SERENISSIMA** restauratrice ejus **GENTE**, Patria, Patribus, Civibus denique **Universis** æternùm vigeat, floreat, æternum **NUMEN** veneror!

S. A. D. G.

MC

107

F.W. 95.

v, 3

Z d
4435

X 2054122

ULRICI.S.R.I. C
à PROMNI
RECTORA
IN. ILLUST
ACADEMIA. G
SOLENN

Typis HAMPELIAN
V.L. F.C.I. C.L.V.

